372
370
376
366
381
361
421
321
471
271

aedificaverunt, nec tamen profecerunt. Semper in munitione civitatis laborant, ut omnibus resistere valeant. Ditissimi sunt ibi mercatores; quidam galeota dixit mihi, quod non esset ditior in christianitate communitas, quam illa. Mulierum ornatus est notabilis cum cornutis capitibus. Ibi omni septimana est forum magnum, in quo venduntur homines, habent enim certas insulas et terras, de quibus nihil aliud habent, nisi certum numerum hominum, quos vendunt, et de tota Sclavonia venales adducuntur homines ad forum eorum. Inde venit, quod omnes servi et pressi dicuntur Sclavi, etiam qui non sciunt, ubi sit Sclavonia. In ea civitate est archiepiscopatus notabilis et dives, unde ibi fuit archiepiscopus dominus Johannes de Terraecremata, cardinalis sancti Sixti, ordinis nostri, vir doctissimus, qui ante hoc quinquennium obiit. Ecclesia cathedralis est pulchra, in qua vidimus mappam, cum qua Simeon senex recepit puerum Jesum in ulnas suas, et multae reliquiae de S. Blasio habentur ibi et alibi. Quatuor ordines Mendicantium in illa civitate conventus habent notabiles, et prope est parvum oppidum, Cattarum dictum, in quo fratres nostri etiam conventum habent, et in scopulo maris ex opposito urbis quidam (**198 a**) civis Ragusinus aedificavit conventum fratribus nostris, quem fratres Praedicatorum de Ragusa sustentant.

Igitur cum per aliquas horas in portu Cursulae moram traxissemus, inde recessimus post bonum ventum. Dum autem sol occidisset, vertit se ventus factusque est nobis contrarius, incidimus autem in loca asperrima, rupibus scabrosa, nec erant ibi littora portuosa, et plenum periculis erat canale istud, timebant ibi syrtim, bithalassum et charybdim; paulatim autem descendimus, et in locum, ubi canale satis latum erat, stabilire tentavimus classem in medio canalis, nullo enim modo ad littus appropinquare licebat propter rupes multas, quarum capita apparebant, aliquae non apparebant, et si unam rupem, etiam modicam, navi tetigissemus, perdita omnia fuissent; nec procedere potuimus, quia jam tenebrae noctis aderant et non erat secura navigatio in mari illo montuoso. Immerso autem bolide invenimus excessivam aquae profunditatem; ideo processimus, et iterum quaesito fundo invenimus quidem terram, sed non juxta placitum gubernatorum; quia tamen nox erat, grandem ejecimus anchoram, quae fundum petens non potuit haerere, quia nec scopulus nec rupes ibi erat, cui

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;